





13





• 1553 •

# STATVTA COLLEGII Ecclesiastici in Oppido Dilingæ Augusteñ. Diocef.

Prouinciæ Moguntiæ. per Reuerédiſſ. & Illustriss.

D.D. Othonem Truchſes, et. Sancte Sabi

næ, S. R. E. Præsbyterum Cardinalem

Augustanum nuncupatum, sub

Inuocatione Sancti Hiero-

nimi, nuper erecti.





# O T H O T R V C H S E S

Tit . Sanctæ Sabinæ , S . R . Eccl .

Præsbyter Cardinalis ,

Vniuersis Christifidelibus Salutem & sinceram  
in domino charitatem .



Vm plurima grauissimo  
rum malorum genera in  
ueniantur , quibus hodie  
tota sere Germania misé  
rè præmitur . Haud fa  
cile dici potest , an ex illis  
omnibus ulla sint à Cat  
holicis , qui in hac prouin  
cia perfliterunt , magis  
lugenda , quam tantam

bis temporibus apud eos ministrorum Ecclesiæ esse raritas  
teni , eorum certè quidem , qui ita uiuant , ut uitæ suæ exem  
pli ceteros edificant , aut solum non offendant : tam ingen  
tem virorum doctorum solitudinem , qui puram & catholicam  
Theologie doctrinam ita didicerint , ut eam alijs tradere  
commode possint : tam pudendam in nobis præsidibus harum  
rerum dissimulationem & negligentiam , in quibus rebus in  
vigilare nunc maximè & excubare animis debebamus .

Non sunt sanè hæc mala leuia ducenda , nec eiusmodi que  
ferri diutius absq; summo scelere ab eis possint , qui potesta  
rem aliquam , ut illis mdeantur , Dei gratia , retinent : preser  
tim cum perspicuum sit ex his reliqua penè omnia , que tam

A y

grauius nunc nos exercent, tanquam ex fonte redundasse.  
Quae etiam ipsa extirpari iam & tolli non poterunt, usque  
dum his maximo studio & labore sit occursum. Nam rez  
formationem & emendationem in populo frustra expectabi  
mus, quanidius ecclesiastici, qui reliquis omnibus uitae exem  
plum, quod imitentur, proponere debent, absq; Dei timore &  
legum reuarentia uitam egerint, omni honesta & Christia  
na disciplina soluti. Hereses autem euelli qui poterunt, si  
desint p[ro]p[ter]e & erudit[us] homines, qui exercatas horum numer  
tes, uera & salutari doctrina illustrent, caliginem errorum  
ex ipsis excutientes? H[oc]c nos cum iam pridem anxia &  
solicita cogitatione perpendremus, cumq; officij nostri ra  
tionem, Deo & conscientiae nostrae consolare cuperemus, mul  
torum uirorum sapientium auditis & examinatis sententys,  
in hanc unam potissimum discessimus: Ut ecclesiasticum Col  
legium, in hac nostra Diligenzi Vrbe erigeremus, eo quia  
dem fine atq; consilio ut in illo aliquot nostrarum Ecclesias  
rum futuri ministri eduentur, & tam seueriter ac dilig  
enter in moribus Christianis & catholicā doctrina inslituz  
antur, ut afferre ipsi postea ad Ecclesiarum gubernationem  
eam eruditōrem & uitę sanctimoniam Dei gratia posint,  
quibus ipsis Ecclesijs maximo sint ornamento & adiumento.  
Ac nobis quidem uia haec tametsi non ualde sit compendio  
sa, tuta tamen & certissima uisa est ad ea mala tollenda,  
quibus Catholic[us] hodie tantopere prægrauamur. Nam a  
ministris qui iam sunt (quibus sane magna ex parte callum  
consuetudo obduxit,) optare licet haec profecto, magis quam  
expectare. Sed illos interim non cessabimus pro nostri offi  
cij ratione urgere uehementer & impellere, quemadmodum

facere iam cœpimus , ut munus suum recte & inculpate co  
ram Deo & hominibus gerant . Rudia adhuc & uacua  
iuuenium pectora , illa uero sunt quæ nos facile sanctissimis  
persuasionibus & optimis moribus imbuī & implexi posse  
confidimus . Cum quibus propterea etiam labores erit utilior  
quoniam tenacissime retinebunt primum semen , quod in ip-  
sorum uelut noualia iactum fuerit . Verum cum duo sint  
quæ nos in primis oportet in hoc nostro Collegio proficere  
ac prouidere : Alterum ut adsint in eo semper honestissimi  
morum moderatores & probi ac sapientes , cum minorum ar-  
tium , tum etiam Theologie professores . Alterum ut leges , et  
decreta constituamus , quibus astringi debeant , qui in ipsum  
Collegium cooptandi sunt : Illud ita nos iam magna ex par-  
te præstissime arbitramur , & prestaturos etiam in posteris  
rum , Dei gratia speramus , ut nullus merito nostram hac  
in parte , curam & diligentiam possit desiderare . Discipli-  
nam porro morum nunc offerimus , legibus illam quidem (ni  
si uhementer fallimur) & institutis constantem , cum æquis  
& sanctis , tum ad id institutum , quod nobis tanquam sco-  
pum proposumus , ualde accommodatis . Quocunq[ue] at-  
tem uolumus hec nostra decreta & præcepta exaltissime à  
nostris omnibus alumnis obseruari , nolumus tamen illos eo:  
rum violatione in ullum peccatum & Dei offenditatem incur-  
rere , Sed in eam duntaxat poenam , que uel  
ipsis legibus præscripta fuerit ;  
uel quam nos Rectori si  
gnificauerimus .



## DE CONDITIONE RECIPIENDORVM.

I



Voniam ualde periculose munus tradendi Christianam doctrinam illis committitur qui ullo unquam tempore in hæresibus hæse runt, uel in fide quidem catholica uacillazz runt: Et nos nostrum Collegium illis tantum paramus, quos aliquando in restituenda doctrina & disciplina catholica in nostris Ecclesijs elaboraturos speramus: Hanc obrem ante omnia statuimus, ne quis in nostrum Collegium admittatur; quem non constet catholicè semper uixisse & ex catholicis parentibus ortum esse: nisi grauior aliqua fortuisse causa, aut nos aut successores nostros inducat, ut hoc alii quibus etiam ex alijs aliquando concedamus.

## DE PROFESSIONE FIDEI

a recipiendis exigenda.

II



Et quod de hac re firmius sit eautum, quam diligentius nunc, quam quævis alia propter contagionem horum temporum est prosperanda, determinatus etiam, ut nullus prius in Collegium recipiatur, quam publicè profiteatur se ea omnia constantissime credere, ac in posterum crediturum, quæ in Ecclesia catholica et Romana credita semper sunt: Seq; omnes hæreses & errores qui aduersus hanc Ecclesiæ fidem excitati sunt, aut excitabuntur, detestari, & anathematizare: libros etiam de hæresi damnatos execrari:

nec ullos habere uelle, nisi quos Rector alienos esse ab omni  
haeresis suspicione declarauerit.

DE PROMISSIONE QVA  
se debent omnes alumni Collegii  
obstringere,

V

**N**E UERO spes nostra frustretur, qui Col-  
legium hoc in eum finem condimus, ut sit  
uelut seminarium ministrorum Ecclesiaz-  
rum nostrarum, neminem ullo unquam tem-  
pore in illud admitti uolumus, qui non prius  
declaret, se & ministerijs ecclesiasticis addici uelle, & om-  
nibus ordinibus, cum nobis uisum fuerit, initiari: quiq; non  
pollicetur, se absq; nostro, aut successoris nostri consensu et  
uoluntate, nec aliam uiuendi conditionem suscepturum, nec  
ex nostra unquam Diocesi migraturum, quin in ea potius  
Ecclesia, quam nos designamus, quodcurq; munus à no-  
bis honesta conditione fuerit impositum, libenter subiturum.  
Si qui autem minus idonei per etatem sint, ut hanc fidem  
obligent, pro illis parentes aut curatores obstringentur.

III

DE MORIBVS AD PIETATEM  
& religionem pertinentibus.

**P**ORRO cum doctrina Christiana, quam unam  
nostris alumnis tradi praesertim cupimus, pie-  
tate & animi puritate maximè constet.  
Hanc etiam nos, Rectoris & Magistri mo-

III

rum primam & maximam curam esse optamus, ut eos in  
omni pietate & religione optimè insituat.

### De Catechismo ediscendo.

V

**L**lud igitur initio præcipimus, ut is Catechismus, quem nos exhibebimus, magna cum diligentia omnibus enarretur, utq; nullus sit, qui non cum memoriae tradat. Ac Rectorem quidem uehementer hortamur, studiosissimè ad hoc unum incumbere, ut iuuenes omnes, rationem pie & recte orandi teneant, rationem item peccata confitendi, & puritatem conscientiae conseruandi.

### De Blasphemia.

VI

**M**Agnope re optamus ut alumni nostri ab omni blasphemia abhorreant: quàm, quò uehementius omnes detestentur & fugiant, iubemus eum, qui primum in eam incidisse depræcensus fuerit, aut uerberari acriter (si quidem is sit qui uerberibus corrigi debeat) aut detrudi in carcerem, ubi & in quot dies pane tantum & aqua utatur: Qui iterum reciderit, acrius quidem puniri; eodem tamen poenæ genere. Quod si quis tertio relabatur, expelli protinus ita ex Collegio, ut omnis illi ullo unquam tempore redundi spes præceditur. Non enim fas est diutius blasphemias in ea domo tolerari, quæ ad extirpandas blasphemias, & uerum Dei cultum atq; honorem propagandum præcipue est instituta.

De Periurijs.

## DE PERIVRIIS.

**P**ari pœna eos etiam afficiendos esse censemus , VII  
quos in apertum perjurium maliciose , & animo  
alys incommodandi incidisse , consliterit . Nam  
qui honestiore aliqua ratione adducti , mendacium  
aliquid iuramento confirmauerint , illi & si seuerè etiam  
puniri debeant , nunquam tamen propter hoc crimen exigen-  
tur ex domo . At sedulo à Rectore monebuntur , quantam  
Deo , qui ipsissima ueritas est , iniuriam fecerint , Cum san-  
ctissimum eius nomen , ut testimonium ferrent mendacio , ir-  
religiose & impudenter atq; ingenti cum prophanitate usur-  
parunt .

## DE MENDACIIS.

**N**on solum autem in perjuria , sed etiam in quæ- VIII  
uis alia mendacia , quæ absq; iuramento proferun-  
tur , animaduerti diligenter uolumus , ut , quoad  
eius fieri poterit , conuillatur funditus peſſima  
mentiendi consuetudo . Nullum igitur tam leue mendacium  
est , quod hac ſaltē pœna non puniatur , ut qui id dixerit , uno  
die uino abstineat .

## DE IVRAMENTIS.

**E**x consuetudine iurandi , adeò procluus est in per- VIII  
iurium lapsus , ut hanc ob rem ueteres sanctissi-  
mi Doctores , jurandi uſum , etiam cum uera confir-  
mantur , periculofſſimum eſſe duxerint . Nos igitur eorum  
B

uestigijs insistentes , aut doctrinam potius Christi cum illis  
secuti , ab omnibus cuiusuis generis iuramentis alumnos no-  
stros absinere mandamus . Nec ullum quantumvis leue ius-  
ramentum , impunitum præteriri uolumus , quin id in pueris  
uerberibus , in adultis ablatione uini per triduum , castigetur .  
Eos duntaxat excipimus , qui cum ad sint circumstantiae illæ ,  
que iusurandum licitum et sanctum reddunt , eo magna cum  
reuerentia usi fuerint .

## DE RITIBVS ECCLESIASTICIS ediscendis .

X



Vi uictuslorum Conciliorum decreta legerunt ;  
non ignorant , quanta olim maiores nostri cura  
& diligentia ad omnia ministeria Ecclesiastica  
eos assuefaciebant , iam inde etiam usq; à pue-  
ritia , quos ad sacros ordines promouendos suscepserant .

II

Huic tam sanctæ disciplinæ , postquam labi retro Ecclesiastici  
mores cœperunt , ingens successit ignavia , quam nos  
ut aliqua ex parte in his saltem nostris alumnis uitemus , eos  
rum Rectori etiam atq; etiam commendamus , ut illos om-  
nes paruulos & quæ ac magnos in cunctis cæremoniis & riti  
bus Ecclesiasticis diligenter & frequenter exerceat , pre-  
scritim in his quos iam subyicimus .

### De Precibus dicendis.

XI



Vbemus igitur initio , ut omnes quotidiane orent ,  
utq; ad eas preces dicendas assuefiant , quibus  
postea in Ecclesijs uti debent , idest , ut formu-  
lam et præscriptionem orandi nostræ dioecesis ses-

quantur. Verum, ne res hæc nimium literarum studijs officiat, preces ipsæ, magna adhibita moderatione à nobis decurritabuntur, atq; hoc ordine distribuentur. Mane non ita longè, postquam signum surgendi datum fuerit, iterum campana pulsabitur, ut in locum, qui bis munerebus destinabitur, conueniant omnes, ut ibi Primam & Tertiam legant: Ante prandy benedictionem Sextam dicent, Nonam autem post actas gratias. Ad eundem modum, Vesperas ante cenæ benedictionem recitabunt, Completorum post actas gratias. Matutinas porrò preces ita dicent, ut eas cum laudibus prius absoluant, quam signum detur, ut cubitum discedant. Hæc nobis distribuendi ratio commodissima uisa est, ut quam minimum de tempore quod in Studijs ponij debet, precibus detrahatur. Cæterum hæc sic ad omnes pertinere nos uolumus, ut initiatos tamen sacris ordinibus ab obligatione addendis que ex legitimis precibus ademerimus, non liberemus. Ipsas autem preces duo chori semper recitabunt, qui pro more omnium Ecclesiæ rum, Psalmorum & Hymnorum uersus, alternatim dicerent. Ac singulis hebdomadis certo ordine designabuntur, qui præstent, qui ad antiphonas, responsoria, orationes, & reliqua id genus attinent. Quanquam autem preces cantari nos non iubeamus, quo plus temporis & otij alijs Sudys relinquatur, maximam tamen curam adhiberi cupimus, ut nihil obscure, nihil præproperè, nihil absq; attentione, sed omnia grauiter, perspicue & cum deuotione pronuntientur. Ne lingua sola loquatur, & mens (quod sœpe accidit) non modo absq; fructu maneat, uerum etiam in grauem irreuerentia culpam incurrat.

## DE MISSA.

XII



Vlo unquam die alumni nostri Missæ sacram  
audire intermittent. Quoniam autem de raz-  
tione dies festos cclebrandi mox agemus, nunc  
id tantum dicimus, ut reliquis diebus post pris-  
mæ, & tertiae præces absolutas, ad ecclesiam statim pros-  
ficiscantur, utq; missæ intersint, linteis induiti uestibus, quas  
mundissimas habere semper, curabunt. In ipsa autem Ec-  
clesia iubemus, ut unusquisq; aut cantet, aut in eo se minis-  
terio exerceat, quod sibi aut à Rectore, aut ab alijs ma-  
ioribus, fuerit impositum.

## De Morib[us] in Ecclesia seruandis &c.

XIII



N primis porrò desideramus, ut tam composite  
omnes & decorè se gerant, non in templo mo-  
do, uerum etiam ubique ad orandum, aut ad  
aliud pietatis opus conuenerint, ut omnibus in  
rebus ostendant, se & dignitatis loci, & sanctitatis officij,  
in quo uersantur, rationem habere. Admonebit ergo Re-  
ctor identidem omnes, ut in uultu, in incessu, in cantu &  
in cunctis alijs actionibus, magnam semper modestiam cum  
deuotione coniungant: Ac seuerissime prohibebit, ne uas-  
gos ullus circumferat oculos: ne aly alys loqui quicquam au-  
deant, nisi magna ad id faciendum necessitate impellantur;  
ne aut in incessu (cum incedendum cis in templo fuerit)  
aut in cantu, levitatem & inconstantiam præ se ferant.  
Hortabitur autem & præcipiet, ut quam maximam sem-

per in his actionibus grauitatem & compositionem adhibeant : atq; illud frequenter inculcabit , ut meminerint quid eos deceat , qui se agnoscunt , in loco sancto coram tremenda Dei maiestate , ut uel eam audiant , uel cum ea loquuntur , positus esse : Si qui parum dociles , aut minus in his rebus obsequentes extiterint , exerceat in eos severitatem Reator , & nulla indulgentia aut leuitate utatur . Cupimus enim magnopere , ut alumni nostri hos in nostro Collegio mores discant , quos postea ad eas ecclesias afferant , quae contrarijs uitij uehementer laborant .

### De diebus festis.

Vm dies festi in cum potissimum finem instituti XIII  
sint , ut ueri Christiani animos in eis uacuos ab omnibus mundi sollicitudinibus , spiritualibus curis & meditationibus impleant , et quum sane est , ut etiam alumni nostri diligentius his diebus , & frequentius solito de Deo & de animarum suarum salute cogitent . Id uero quanquam maxima curae singulis scorsum esse deberet , nos tamen nonnulla præcepta constituimus , quæ uniuerse ab omnibus seruari uolumus . Igitur Dominicis omnibus diebus , ac ferijs Natalis Domini , Resurrectionis , & Pentecostes , festis item Circuncisionis , Epiphaniae , Corporis Christi , & Ascensionis , necnon Conceptionis , Nativitatis , Præsentationis ; Annunciationis , & Assumptionis Beatæ Mariæ : Omnia præterea Apostolorum & Evangelistarum ferijs , adeoque festo Omnia Sanctorum , & ferijs D . Hulderici . D . Laurentij , D . Hieronimi , & D .

uarum Africæ , & Catherinæ : Sed in his omnibus festis  
diebus hæc nos à nostris alumnis obseruari præcipimus .  
Primum ut intersint concionibus , quas fieri in eis curabim  
us . Deinde ut in eis omnium horarum preces integras  
absolvant , iuxta consuetudinem Augustinam , utq; Matu  
tinæ preces cum laudibus manè cantent , Vespertinas au  
tem hora tertia non modo in ipsis Dominicis & festis die  
bus sed etiam Sabbatis , & aliorum festorum Vigilijs .  
Tertio ut pridie omnium prædictorum festorum & Sabba  
tis omnibus post Completorium , Euangelium futuri jæsti le  
gatur , utq; Rector breui adhortatiuncula , admoneat om  
nes , quid in couel in futuri festi celebritate potissimum oc  
currat , in quo Christianorum meditatio , maximo cum fru  
etu possit oçcupari , atq; ad Dei , & proximi amorem ,  
uel ad alicuius peculiaris uirtutis studium , & uitij contrarij  
detestationem excitari . Qua hortatione finita , iubebit ut  
de propositis rebus secum omnes taciti magno cum silentio  
meditentur , diuinam gratiam ardentibus uotis & deside  
rijs implorando , absq; qua nec solida delectatio in spirituaz  
lium rerum contemplatione sentiri , nec fructus ullus percipi potest . Postquam autem in hac meditatione quartam par  
tem unius horæ consumperint , hymnum Te Deum laudas  
mus , grauiter & deuotè dicent . Subiicietur deinde , Pa  
ster noster cum Chyrie &c. & Oratio de festo vel Domini  
nica , in cunis conclusione Collegij & Fundatoris , mentio  
fiet . His actis in suum quisq; cubiculum se recipiet .  
Ad postremum iubemus , ut ipsis Dominicis & festis die  
bus , si desit pomeridiana concio , post absolutas Sextæ , &  
Nonæ preces , Epistola eadem , quæ in sacro fuerit audiz

ta , relegatur ; Utq; ibema aliquod , aut ex ipsa , aut ex con-  
cione matutina , Rector proponat , quod omnes altissimo si-  
lentio contemplantes , uersent animis unius quartæ partis  
horæ spatio , quo exacto surgent & solam orationem Do-  
minicam cum oratione de festo , ordine iam præscripto dicent ,  
ac sic discedent .

QVIBVS DIEBVS PECCATA  
confienda sint ; quibusq; sacra Eucha-  
ristia suscipienda ,

**Q**uanquam autem omnes illos dies festos , quo-  
rum mentio facta est , sanè & religiose ab om-  
nibus coli & obseruari conueniat , singularis tas-  
men quedam sanctitas et deuotio attribenda tunc  
est , cum de confessione facienda , aut de sacrosancta Eucha-  
ristia suscipienda , cogitatur & agitur . Nos uero Euchari-  
stiam suscipi ab omnibus nostris alumnis , his saltē ,  
diebus uolumus : In die natali Domini , in festo Purifica-  
tionis , Prima Dominica Quadragesimæ , Dominica Pas-  
chæ , Dominica Pentecostes , in festo Corporis Christi .  
Festo D. Hulderici festo Assumptionis , festo D. Hieroni-  
mi , festo Omnia Sanctorum , Prima Dominica aduentus .  
Hi dies , inquam sicut in quibus nostri omnes ad Sanctæ Eu-  
charistie communionem accident . In Vigiliis autem (quas  
uocamus) horum festorum communicatur , omnes conscienti-  
as suas Sacramento pœnitentiae purgabunt . Quamobrem  
æquum erit , omnes hos dies uacuos esse à literarys occupatio-  
nibus , et quibusuis ludis , totosq; pietati et spiritualibus exerci-  
tibus .

XV

tijs consecrari : Itaq; in ipsis etiam Vigilijs, non aliter quam  
in festis diebus, officium integrum persoluctur, et preccs ma-  
tutine mane cum laudibus cantabuntur . Pridie autem eius-  
iusq; Vigiliæ , Rector omnes post Completorium ad pœni-  
tentiam , & contritionem pia & breui oratione induet, lo-  
cis utendo qui ad eos uehementer commouendos sint apti .  
Deinde faciet , ut tum de peccatis suis , tum de rebus pro-  
positis semihora in silentio cogitent . Post quod tempus psal-  
mum L . Misericordia mei dicent, addentq; litaniam cum ora-  
tionibus consuetis . In ipso uero Vigiliæ Die post Completo-  
rium , cum iam omnes crunt confessi , ut se ad suscipiendum  
cum dignitate diuinum Christi corpus præparent , admones-  
bit, adducens aliqua argumenta ex innumerabilibus que ad  
hanc rem suppetunt , quibus ipsorum animos erigat in con-  
templationem ineffabilis charitatis , quam Deus in hoc diui-  
no Sacramento toti generi humano demonstrauit : nonnulla  
la etiam quibus excellentiam præstantissimorum fructuum  
explicet , quos cælestis hic cibus in eorum animis ædit , à quis-  
bus dignè & sancte suscipitur . In harum autem rerum  
contemplatione semihora etiam aquiescent , postea psalmum  
Misericordia mei cum litanie dicent , quemadmodum pauloante  
statuimus . Sequenti porrò die , cum suscipere Eucharistiam  
oportebit , quanquam pomeridiana fit concio , non cessabit  
tamen Rector , uel ante prandium , uel statim à prandio , ad  
perseuerantiam omnes hortari , & ad retinendam spiritua-  
lem uitam , quam , Dei gratia , erunt adepti , iuxta illud .  
D. Pauli . Si confurrexisti cum Christo , que sursum  
sunt querite &c. At illud etiam , Christus resurgens ex  
mortuis , iam non moritur , mors illi ultra non dominabitur  
&c.

Collos. iiiij.

Ro.vi.

¶. Quod si concio pomeridiana desit , paulo uberior  
Rector his de rebus , absoluto prandio , loquetur , efficietq;  
ut se omnes in hac meditatione paulisper exerceant : ¶ ut  
cetera addant , quae in alijs diebus festis obseruanda esse  
præcipimus .

D E D I E B V S Q V I B V S  
ieiuniandum est deq; diebus  
Veneris .

**E**iunia ab ecclesia indicta eò arctius seruari à XVI  
nostris uolumus , illis duntaxat qui legitimam  
ualetudinis , aut etatis excusationem causari  
non possunt , quo magis illa , licentia ¶ cor-  
ruptela horum temporum , remissa ac prope sublata esse uis-  
demus : Ut hoc exemplo ecclesiasticos saltē à ieiuniis de-  
suefactos , ad ueteris consuetudinis similitudinem reuoces-  
mus . In illorum ergo obseruatione hæc ratio teneatur : In  
prandio non plus obsonij ¶ uini ieiunantibus apponatur ,  
quam alias apponi deberet : Vespero pro cœnatiuncula haus-  
stus uini illis cum fructu panis detur . Quin ¶ pueris qui  
non ieiunauerint , nihil ieiunij diebus , in cœna præter offam  
cum pane ¶ uino solitu exhibeatur , ut etiam ipsi pœnitens-  
tiam aliquam in eis agant .

Hanc porro pœnitentiam uniuersos nostros alumnos subire uo-  
lumus omnibus diebus Veneris : id est nihil in eis cuiquam  
pro cœna præter panem , uinum , ¶ offam apponi .  
Præcipimus etiam , ut omnibus diebus Veneris post Com-  
pletorium aliqua pia ¶ deuota consideratio , quæ ad Chriz-

Si passionem spectet, uel legatur publice, uel proponatur à Rectori, super qua ad aliquantum tempus omnes meditentur. Surgent autem cum signum de de rit Rector, ac psalmum, De profundis dicent, cum responsorio pro defunctis, addita oratione generali pro illis, & alia priuata in qua annorum Episcoporum Augustan. antecessorum nostrorum nominatim fiat mentio. Volumus I preterea, ut primo quoq; die Veneris singulorum mensium Vigiliae Mortuorum post prandium, & preces Nonie, perfectas, à duobus choris recitentur.

**H**Aecen de ijs quæ ad religionem pertinent: Tam de alijs actionibus præcepta dabimus, in quibus etiam cupimus ut nostri alumni, pro officio bonorum Christianorum, pietatem semper cum religione adhibeant.

### DE MENSÆ disciplina.

XVII



Rincipio igitur, ut à mensæ moribus ordinas-  
muri, Nunquam nostri alumni accumbant, quin  
antecedat benedictio, quam omnes dicent, iuxta  
formulam in conuentibus religiosorum obseruari  
solitam. Nemo etiam ante alias ex mensa discedat, sed ex-  
pectet quisq; campanæ signum, quod cum datum fuerit, cun-  
eti simul surgent, et gratias more etiam religiosorum agent.

In mensa maximum omnes silentium teneant, In uultu autem  
& oculis, eam, quæ uiros pios ac religiosos decet, composi-  
tionem. Porro quamdiu prandium & cena durabunt,  
aliquid semper distinctè, perspicue, & grauiter recitabis,

tur , uel ex sacris literis , uel ex aliquo pio libro sumptum ,  
quod prodeesse omnibus possit .

## DE COMPOSITIONIBVS & commessionibus vitandis.

**S**i Christianis omnibus Euangelica luce illu = XVIII  
stratis præcipit uas electionis Paulus , ut à comi Rom. xiiij.  
messationibus & ebrietatibus abstineant : Si I. Cor. V.  
cum ebriosis cibum sumere , illis interdit : Si  
commessiones & ebrietates ; opera esse consitanter affir-  
mat , propter quæ aditus ad regnum cælorum hominibus inz-  
tercluditur : Deniq; si Christus ipse eosdem admonet , Gal. V.  
Lu.xxi.  
Ut attendant , ne corda sua , crapula & ebrietate graz-  
uent : Quanto tandem studio & diligentia par est Chris-  
tianæ sapientiae candidatos , cuiusmodi omnes alumni nos-  
tri existunt , sanctam & salutarem sobrietatem & tempe-  
rantiam amplecti ? Commessiones autem & comportatio-  
nes intemperatas , pernicioſas , & exitiales generis huma-  
ni pestes , fugere & detestari ? Præsertim eum à sapientiſ  
fimo Salomone scriptum inueniamus : Nemincm futurum Pro. xx.  
sapientem , qui uino & ebrietate delæctetur .

Quoniam igitur nec maioris momenti res ulla facile inueniri  
potest , et hæc ipsa pluribus , quam quævis alia periculis est ex-  
posita , his præsertim corruptissimis temporibus in quibus pes-  
sima comportandi consuetudo (prob dolor) nimis inucteravit ,  
Rectorem uehementer hortamur , ut ad exterminandam ex  
nostro Collegio hanc pestem , & ueram sobrietatem indu-  
cendam , curam et diligentiam suam quam maxime excitet .

Prohibemus autem alumnis nostris omnibus, adcoq; Magistris,  
& Praeceptoribus ipsis, qui in Collegio uixerint, ne pranz-  
dium unquam aut cœnam, extra Refectorium sumant, nisi  
infirma ualeutudine sint affecti. Praeceptoribus tamen con-  
cedet Rector, ut abesse possint, si iusta & honesta aliqua  
ratione adducti, id postulent.

**III** IV. Alijs porrò extraordinarijs horis, si quis aliquando alios inuitaz  
uerit, aut ab alijs inuitatus ipse fuerit ( id quod quam raris  
simè fieri optamus ) dabit operam tantam ut temperantiam  
adhibeat, ut reipsa declareret, se uel eum inuitauit, uel cum  
inuitatus acquieuit, hoc duntaxat spectasse ut amicitiae urba-  
nitatiq; seruiret: non ut suo aut aliorum nomini satisfaceret.  
**V** I O. Itaq; semel tantum alumnus nosler bibet, et ad summum bis.  
Inuitare nemo audiat, nisi quos sobrios & sicclos esse agnos-  
cat: Quin & inuitatus ac rogatus à temulentis aut helluo-  
nibus ire recusabit. Vix enim fieri potest ut cum eiusmodi  
homini bus quisquam se intra temperantiae limites continueat.

**Q** ui semel atq; iterum in ebrietate deprehensus fuerit, Colle-  
gio expelletur, dignus est enim qui ebriosus habecatur, ut cum  
eo cibum sumere, probi & sobry uiri, ex D. Pauli præ-  
cepto, recusent.

**Q** ui absq; aperto ebrietatis uitio modum excederit, & ijs decre-  
tis que statuimus non omnino paruerit, si uino careat aliquot  
diebus pro Rectoris arbitrio. Penes quem etiam potestas  
crit maiorem pœnam infligere, cum id expedire iudicauerit.

Ceterum, ne per nos flet, quonimū hæc sancta sobrietas in  
alumnorum nostrorum moribus diutissime conseruetur, ope-  
ram dabimus, tum ut nihil illis in Refectorio desit, quod ad  
satisfaciendum usq; quaq; naturæ necessitat, & ad corpor-

rum sanitatem tuendam pertineat , tum ut modus qui deceat in cibo potuq; teneatur.

Institutum etiam relinquemus , ut nonnullis diebus ex ijs quibus nostris relaxare animos et se iucunditati dare licebit , obsonij et uini addatur aliiquid , quo se honeste reficiant et exhilarent.

## DE OBEDIENTIA RECTORI & aliis maioribus exhibenda .

**O** Voniā autem à sapientissimis morum Magistris traditum est ex una obedientia , reliquas se omnes uirtutes tanquam ex fonte redundare , necq; absq; illa ullam unquam bene moratam iumentum extitisse : nos nostros in artissima obedientia & subiectione contineri uolumus . Illud autem in primis præcipimus , ut Rectori omnes tales se in omni re præbeant , præfertq; ut ad omnia que uelit præflo sint : Nullum eius unquam detrectent imperium : correpti & castigati ab illo non resistant , nec insolentius reclament . sed magna se modestia & humilitate tueantur , cum iustam excusationem , quam obtendere possint , habuerint : Breuiter , ut parti illum pietate & reverentia colant & obseruent , ac si uerū omnium esset parens .

Reliquos etiam Magistros , ac Præceptores , adeoq; Seniores omnes , & præcertim Sacerdotes , ut modis omnibus honorent & recreuantur iubemus : Volumusq; ut à pueris & adolescentibus ( ad quos præcipue hæc lex pertinet ) pœnæ sumantur quoties Præceptoribus , Sacerdotibus & quisbus uialis alys Senioribus uenientibus non assurrexerint , ob-

XIX

I

XXX

uiam factis , caput non aperuerint , loquentibus , & de ali  
qua re interrogantibus , modestissime & aperto semper ca  
pite non responderint , iubentibus quicquam promptissime  
non obedierint .

## DE MODESTIA QVAM inter se alii erga alios ser uare debent.

XX



Pros porrò alumnos nostros tanta inter se chariz  
tate complecti uellemus , & eam inuicem seruas  
re modestiam , ut singuli in alijs , pro eo ac ue  
ros Christianos decet , Christum honorarent ,  
ac sanctum illud D . Pauli praeceptum implerent .

Ro.xij.

Hoc Onore inuicem praeuenientes . Longè igitur alienum à  
nostris esto , ut de genere , de diuitijs , de corporis uirtutis  
bus , aut ingenio glorientur ; multo autem magis , ut his con  
traria alijs exprobrent , quos præ se despicer uideantur .  
Quin illa potius Christi uerba semper meminerint .

Lu.xxij.

Qui vi maior est in uobis , fiat sicut iunior . Quæ quidem  
ipsa Rector eis assidue inculcabit , nec corripere omissit ,  
quos legem hanc insolentius uiolare cognoverit .

## VT OMNES PACI AC concordiae plurimum studeant.

XXI



Vanquam autem uellemus nostros omnia charita  
tis iura inter se custodire , in eo tamen præcis  
pue Rectoris sollicitudinem inuigilare optamus ,

Vt ad pacem , quam tantopere magister ~~Uite~~ nostræ Christi  
discipulis suis adeoq; Christianis omnibus commendaz  
uit usq; quaq; seruandam , eos hortetur & impellat . Sa-  
nè hoc tantum bonum ita demum spes erit posse in nostro  
Collegio retineri , si maximam Rector diligentiam &  
se-  
ueritatem adhibeat , ut suam quisq; linguam , ex qua ma-  
gna ex parte manare ea solent , quæ pacem conturbant , ita  
coerceat , ut neminem uerbo uiolare audeat , neminem irri-  
dere , nemini conuiciari , aut ullam contumeliam inferre , ne-  
mini quicquam exprobrare , cum nemine ulla de re uehemen-  
tius altercari & contendere . Aduersus igitur bæc decre-  
ta , qui deliquerit , puniatur grauiter : at multo grauius qui  
manus in alium iniccerit : Grauissime uero & acerrime qui  
armis quempiam percusserit , aut qui etiam arma ad percus-  
tiendum strinxerit . Nam hic aut protinus ex Collegio ejus  
cietur , si Rectori uideatur , aut obtrudetur in carcerem , ubi  
totos octo dics nihil praeter panem & aquam edet & bis-  
bet . Iterum tamen si in idem crimen relabatur , omnis-  
no expelletur .

## DE ARMIS.

**K** Ed quo huic tanto malo occasionem præcidamus , XXII  
prohibemus , ne quis ulla arma , (cultello quo ca-  
rere non possunt , excepto ) aut apud se , aut in  
cubiculo habeat . Quæ quisq; autem attulerit ,  
ea ab æconomio , loco aliquo priuato inclusa seruantur , nec  
reddantur , nisi cum aut omnino è Collegio discesserint , aut  
iter aliquod longius agere insituerint .

DE SEDANDIS  
distensionibus.

XXIII



I quando tamen accidat, ut mutuo sibi aliqui iniuriam inferant, aut ut unus ab alio iniuste laceſſatur; Qui coram aderunt, operam dabant, ut diſſidentes uniant & concilient: Id si minus praetare queant, ad Rectorem de iurgio, & de tota diſſenſione omnino referant. Ne sit autem impune eis qui fuſtinuerint, ſilentio & diſſimulatione ſua nutriri inter ſocios odia & inualeſcere inimicitias, quas tantopere Deus detestatur. Porro Rector certior factus à uiris probis de aliquorum ſimultate, magnam prudentiam & lenitatem ad eam delendam & funditus tollendam conferet. Sed lenitas ne tanta eſto, ut quod, impediat obiurgari & puniri fontes, pro eo atq; tum illorum correſtioni ſum aliorum emendationi, & exemplo, expedire cognouerit.

DE DIRIMENDIS LITIBVS.

XXIII



IS, ſi qua inter alumnos noſtri oriatur, refertur ad Rectorem, qui illam pro ſua æquitate & prudentia decidet, & arbitrabitur. Nulla autem ratione permittimus, ut noſtri alumni, aly ad uersus alios, coram alio iudice quam Rectore litigent.

DE PUDICITIA ET HONESTATE.

XXV



N morum honestate & pudicitia integra atq; illeſa retinenda, omnis adhibenda eſt cura, meditationis, diligentia, non ab ipsis modo alumnis nostris, quorum id in primis refert, uerum etiam à Rectori.

à Rectori . Qui profecto quoties cogitabit , eorum se iuuenum mores formandos suscepisse , qui Deo , ut in castitate & cœlibatu uiuant , destinati sunt , toties intelliget quam maxime acrem curam huic rei à se impendi oportere , ut muneri suo & conscientiae satisfaciat . Dabit ergo ille operam ante omnia , ut omnibus sit persuasissimum , sibi potius rem rationem honeste uiuendi , quam uel optime discendi , uideri : Deinde in hoc suam ipse animaduersionem & diligentiam excitabit , ut prospiciat , ne quid uel in uerbis , uel in ludis , uel in libris quos leguntur , uel in quibusuis denique alijs Scholasticorum actionibus , molle , intemperatum , impurum uel quacunq; ratione impudens , & in honestum inueniatur . Ac proderit quidem plurimum ut hæc D . Pauli Ephe . v . uerba altè illis identidem affigat . Fornicatio & omnis immunditia , aut auaritia , nec nominetur in uerbis , sicut decet sanctos : aut turpitudo , aut stultiloquium , aut scurrilitas , que ad rem non pertinet , sed magis gratiarum actio .

Sed quo nos etiam aliquid conferamus , quod ad continendos alumnos nostros intra claustra pudoris , & pudicitiae , prouidisse posset , aliquos canones illius inquam limites salutares circundare decreuimus , quos nullus transfiliet , quin acres poenas Rectori persoluat .

## CANONES AD VITÆ honestatem & pudicitiam pertinentes .



Mnes in sermone ingenuitatem et pudorem præsent , nec ullus fit , qui uel in ludis & iocis uerbum aliquod turpe & parum uerecundum usurpet : Sed nec honestis quidem uerbis , res fas

XXVI

D

men in honestas commemoret, nisi forte earum turpitudinem explicare & reprehendere uelit.

A turpibus & impudicis cantilenis, ut à re perniciosa abſtineant omnes.

Molles & impuros poetas, aut quos uis aliis parum pudicos liberos, nemini non modo legere, sed nec habere domi permit tatur. Quin in uniuerſum uetamus, ne quis incio Restore librum ullum poffideat, quoniam plurimi ex corruptorum librorum lectione facile in turpitudinem dilabuntur.

Fœminam, nullo unquam prætextu noſtri alloquantur, niſi ſit illa, aut ſanguine, aut nimis uetus, & honesta neceſſitudine coniuncta, & eiufmodi que omni finiſtra ſuſpicio ne careat.

In Collegium, fœminis non pateat aditus, niſi cum nos, aut ſucceſſores noſtri, id nominatim præceperimus.

Si quis fœminam ſuſpettam aliquando in Collegio introduce rit, cum primum crimen hoc, compertum fuerit, criminosus grauiter punitus ex Collegio expellebit, nec ſuſlinebit Rector, ut diutius in eo permaneat, qui tantum flagitium admittere, & tam turpe alijs exemplum præbere non erubuerit.

## DE CVSTODIA IANVAE.

XXVII



Lurimum ſanè refert, cum ad honestatem, de qua agimus, conſeruandam, tum ad ſtudiorum rationem recte conſtituendam, pereſpicere, ut ad cuſtodiendam Collegij ianuam & egressio nem Scholasticorum cohibendam, commoda aliqua ratio adhibeatur.

**N**os Collegij ianuam eisdem fermè horis, quibus urbis ianuae  
aperiuntur & clauduntur, aperiri, & claudi, uolumus:  
Ianue uero, postq; ea aperta fuerit, ianitorem aliquem ex-  
ploratæ probitatis & fidei assidere, qui nunquam ab eâ lon-  
gius discedat, quin clausam illam relinquat, uel custodem az-  
gium in suum locum sufficiat.

**H**ic ianitor, præterquam quod claudere & aperire ianuam suis  
temporibus debet, & noctu claves Rectori tradere, tum duo  
alia munera diligentissime est curaturus: Alterum ut fœ-  
minas, si quæ ingredi uellent, procul arceat, atq; aditum  
etiam quibusuis alijs intercludat, quos putauerit, nihil quod  
agant in Collegio habere, aliud quam, ut Scholasticos à  
suis studijs & exercitijs auocent aut retardent. Alterum  
ut nullum ex alumnis Collegij iniussu Rectoris foras egre-  
di patiatur.

## DE EGRESSIONE ex Collegio.

**S**otidie nostros exire ex Collegio oportebit, ut **xxvij.**  
templum adcant, donec sit templum cum Colle-  
gio coniunctum: nonnunquam etiam extra urbem  
egredientur, animorum remittendorum causa.

In his publicis egressionibus semper hoc obseruabitur, ut una  
cuncti exeat, & una redeant: Tum ne absq; Rector  
aut præceptore aliquo proficiantur, qui curam gerat.

**V**t dum per uicos urbis incedunt magnam modestiam & com-  
positionem feruent.

**Q**uod autem ad priuatas egressiones attinet, Confidimus sa-  
nè perfecturos nos, Deo adiuuante, ut tam abunde alum-  
nis nostris omnia in Collegio suppetant, ut admodum rarò

priuata cuiq; offeratur occasio, que uebementius eum ad ex-  
eundum urget: Nam minutiora negotia, que in urbe tran-  
sigi debent, ministri procurabunt, eisq; nos illa ab alumnis  
nostris committi uolumus.

Si qua tamen grauior causa alicui quandoq; impendeat, eam  
ut ille Rectori explicet mandamus, utq; Rector, si causam  
necessariam et honestam duxerit, socium illi bene moratum  
adiungat, qui nunquam ab ipsis latre discdat, donec ambo  
redierint. Non enim uolumus quempiam ex nostris alum-  
nis ullo unquam tempore solum per urbem incedere. Præ-  
scribet autem Rector ambobus horam intra quam redire de-  
beant, ac ut se in urbe honeste & modeſtè gerant admo-  
nebit, nec patietur, ut prandeant, aut cœnent extra Col-  
legium, multo autem minus, ut in urbe pernoctent. Nam  
hoc nulla unquam occasione concedi permittimus.

## CONTRA VIOLATORES prædictæ legis.

XXIX



Orrò si quis eò audacie progressus fuerit, ut  
non dubitet aut fores effringere, aut adulteris  
nis clauibus sceras aperire, aut ianuori uiu inij-  
cere, aut se per fenestram demittere, aut quam  
piam aliam inire uiam ut absq; facultate Rectoris ex Colle-  
gio egrediatur; Nos hanc tantam insolentiam ita puniendam  
decernimus, ut integrum Rectori relinquamus an uelit fla-  
tim expellere eum, qui primum tam audax facinus admise-  
rit, an potius in carcercm coniucere, ubi aliquot diebus tan-  
ti sceleris paenas luat: Relapsum tamen in hoc crimen, nos  
lumus diutius in Collegio tollerari.

De ratione

De ratione constituendi omnes diei  
ac noctis horas.



A gna quidem est temporum dierumq; diuersitas, nec appetit iniiri certam unam rationem

xxxvij.

posse ad constituendas horas, quibus dormire, cibum sumere, sacrum & lectiones audire, orare, studere, & feriari toto anno oporteat. Sed nobis temporum differentia ut aestatis & biæmis non uidetur in magno discrimine esse ponenda. Quin arbitrati sunus praefiare, ut quemadmodum Lutetiae fit, in totius orbis celeberrimo gymnasio, eadem disponendi horas ratio prescribitur, pro omnibus totius anni temporibus, dierum duntas xat discrimine & uarietate obseruata. Alia enim ratio festorum ac professorum dierum haberi debet. Et inter profestos quidem dies, aliter in uigilijs festorum, aliter in alijs diebus impendi horas oportet: Ac rursus aliter Ferijs tertia & quinta, aliter secunda, quarta & sexta. Igitur illud in uniuersum toto anno seruatur, ut signum campanæ ad surgendum detur hora Quinta, ad cubandum hora Nona.

Verum cum hoc dicimus, non uetamus quin quisq; possit quantum uoleat de somno detrahere & conferre ad studia: illud tantum significamus, neminem ante Nonam cubitum ire debere, nec manè post horam Quintam in lecto esse. Paruulos tamen fortasse expediret, ui etiam adigere, ut totas octo horas in lecto manerent, ut enim nihil æquè atq; somnus, tuendæ corum ualitudini prodesse potest, ita nihil magis obesse quam si uigilijs & labore extenuentur.

Prandium hora decima sumetur, & cum ieiunandum erit hora Undecima: Cœna semper hora Sexta.

**M**ane semihora postquam surgendi signum datum fuerit, ite-  
rum campana pulsabitur, ut omnes ad dicendas, aut Matu-  
tinas preces (si dicendae sint) aut Primæ & Tertiæ con-  
ueniant.

**P**rofessis diebus post absolutas Primæ, & Tertiæ preces, tem-  
plum omnes ad audiendum sacrum adibunt. Eo confecto,  
ientaculum pueris dabitur. Hora septima, lectio minor  
rum artium incipiet. Nunc enim nihil Theologis prescribi-  
mus, tantum iubemus, ut praceptorum suorum sententiam  
& uoluntatem sequantur.

**S**emper autem bis pro singulis lectionibus pulsabitur, semel pau-  
lo ante horam qua incipienda erit lectio, & paulo quidem re-  
missus, ut Scholastici in auditorium conueniant: Iterum ue-  
hementius & prolixius cum hora sonuerit.

**A**b hora septima usq; ad Nonam, praeciptores in auditorijs  
cum discipulis erunt, & ea eos docebunt que utilissima exi-  
stimatorint. Non præcipimus, ut totas horas in continen-  
ti lectione & interpretatione consumant, utilius enim erit,  
ut nonnunquam insistant, & à discipulis rationem exigant  
eorum que audiunt, ut cognoscere possint quemadmodum  
proficiant.

**H**ora nona legere quidem praeciptores cessabunt, sed discipuli  
ex Auditorijs non discedent, donec prandendi signum des-  
tur. Conferent autem illa hora inter se que in lectione au-  
dierint, aut aliquid memoria tradent, uel component.

**A**d hunc modum professis omnibus diebus Matutinum tempus  
impendet, praeter illos in quibus confessio peccatorum erit  
facienda.

**I**n festis diebus ab hora Nona ad usq; decimam legetur: Res

liquum Matutinum tempus cultui diuino tradetur. Haec  
nus de horis Matutinis.

Pomeridianum porro & Vespertinum tempus ferijs secunda,  
quarta & sexta ita traducetur. Finito prandio & preci-  
bus Nonae perfectis, omnes se in sua cubicula conserent,  
& quidquid temporis restabit usq; ad horam Tertiā pri-  
uatis studijs tribuent, ac dabit quisq; operam, ut huius tem-  
poris optimè sibi conslet ratio.

Ab hora Tertia usq; ad Sextam idem prorsus fiet, atq; ab ho-  
ra septima Matutina, usq; ad horam decimam faciendum  
esse statuimus. Docebunt enim Praeceptores à Tertia usq;  
ad Quintam, & à quinta usq; ad Sextam discipuli in au-  
ditorijs manebunt, & in illis studijs se exercebunt, quæ su-  
pra memorauimus.

His autem horis nempe à Nona ad Decimam, & Quinta ad  
Sextam Praeceptores sedebunt, uel in ambulabunt in audi-  
torijs, aut non procul ab illis: tum ne dilabantur discipuli et  
otio se dedant: tum ut questiones & dubia que attulerint  
explicare possint.

Cœna absoluta & Completorio finito, iterum omnes in auditio-  
rijs conuenient, & Praeceptores semihoræ, ad minus spa-  
tio, uel compositiones ab eis exigent, uel repeti auditas le-  
ctiones curabunt, uel quid quisq; memoriae tradiderit in-  
quirent. His actis discedet quisq; in suum cubiculum &  
manebit in eo usq; dum pro matutinis praecibus signum  
detur.

Hæc eadem omnino ratio tertij & quintis ferijs scrubabi-  
tur in eis hebdomadis que festum diem aliquem habuerint.  
Porro Dominicis & festis diebus, adeoq; Sabbatis & festis

rum omnium uigilijs , nec non tertij & quintis ferijs in  
 hebdomadis quæ festo omni uacaucrint : Perfecto prandio  
 & Completis spiritualibus exercitijs , si quæ fuerint , ope  
 ram aliquam & studium in cantu ponent , deinde usq; ad  
 Horam Quartam uel usq; ad Vesperas , si Vesperæ dicen  
 dæ erunt , feriari poterunt & se otio ac iucunditatib; dare .  
 Ab Hora quarta usq; ad quintam lectio erit , à quinta usq;  
 ad Sextam in auditorijs discipuli manebunt , quemad  
 modum antea diximus . Post cœnam recrea  
 re se etiam honestis ludis & confabuz  
 lationibus poterunt , nec ullis co  
 actis studijs astrin  
 gentur .



R O M A E Apud Antonium Bladum ,  
 Impressorem Cameralem .  
 Anno Domini .

M. D. LIII.

